

DISSERTATIONIS,
DE
ORTHOËPIA & ORTHOGRAPHIA
LINGUÆ FENNICÆ,

Paris Prior,

QUAM

CONS. AMPL. FAC. PHILOS. IN IMP. ACAD. ABOËNSI.

PRÆSIDE

Mag. FRANC. M. FRANZÉN,

*Hist. & Mor. Profesf. nec non Acad.
Svecanæ Octodecimviro,*

PRO GRADU PHILOSOPHICO

Publico offert examini

GUSTAVUS RENVALL,

Vic. Collega Scholæ Cath. Ab.

In Auditorio Medico, die XXX Maji MDCCCX.

Horis p. m. consuetis.

Pius est patriæ facta referre labor.
OVIDIUS.

ABOË, Typis FRENCKELLIANIS,

LITTERARUM FENNICARUM

PATRONO & CULTORI EMINENTISSIMO,

REVERENDISSIMO VIRO

JAC. TENGSTROM

THEOL. DOCT. EPISC. ET PROCANC. ACAD. AB. EQUITI ORD. IMP.

ST. ANNE IN CLASSE PRIMA, ET REGII DE.

STELLA POLARI MEMBRO

SACRUM.



Littera Sermonis fida ministra mei.

OVIDIUS.

PROOEMIUM

De Principiis Orthographiæ generalibus.

Inter varia Signorum visibilium genera, quorum ope homines cogitata sua depingere, verbave oculis adspicienda reddere conati sunt, *Scriptura Alphabetica*, ut, teste historia, ultimo est inventa, ita ceteris omnibus præstantior. Quippe quæ, cum sermonem descriptura hominum *μεροπων*, elementa ejus, (sonos vocales & consonantes), certis quibusdam Characteribus arbitrariis (litteris), *figillatim* exprimat, visumque auditui amice conjungat, definitior est, brevior, distinctior & simplicior, ideoque ad usum vitæ quotidianum aptior, quam ulla alia scribendi ratio.

Hæc igitur est Scripturæ Alphabeticæ summa lex, ex ipsa ejus indole nascens, ut ad linguæ pronuntiationem quam fidelissime sese accommodet & conformet. Quod enim de quavis valet pictura, quo accuratius archetypum referat, eo perfectiorem eam esse censendam, idem omnino de scriptura est judicandum. In id igitur est enitendum, ut Soni vocum elementares (enkla Språkljud) horumque Characteres alphabeticæ (litteræ, ljudtecken, skriftecken) semper sint sibi invicem perfecte congrui. Quod vero fieri haud poterit, nisi Sono cuique suus statuatur character *peculiaris & fixus*, qui eandem ubique servet pronuntiationem, *simplex*, si fieri potest, & *unus*, ne plures in praxi confusionem pariant. Contra autem *Litteræ* cuique, quæ usitata est, suus sit Sonus, *singularis, certus*, ne lector aliquando dubius hæreat, *unus*, ne ambiguitate confundat, nec non ubique *constans & ratus* 1).

Hoc igitur Scripturæ Alphabeticæ principium ut in quacunque lingua, stilo exaranda, servetur, maxima adhibeatur, necesse est, diligentia. Diverfarum quippe linguarum soni cum sepe sint diversissimi, uniusque gentis homines haud raro voces

ces

1) Regula itaque trita: *scribe ut loqueris*, in orthographia viam ostendit, cognitu facillimam, usu brevissimam & tutissimam, fideliter sequendam, ubi impedimenta alius generis maxima eandem non claudunt. Apponere lubet verba Consultorum: "Ingen kunskapsgræn borde genom sin beskaffenhet vara enklare, lättare och säkrare, än Språkens ortografi. Bokstäfverne äro tecken för de ljud, hvaraf orden sammansättas. Desla tecken borde derföre vara *lika många*, som de särskilta grundljuden: intetdera kunna beteckna *mer än ett ljud*, och hvart och ett *beständigt* behålla sitt eget. På detta sätt skulle både skrifning och läsning blifva lika *lätta, som säkra.*" Sv. Akad. Handl. ifrån 1796, I del. företal. s. 3.

ces pronuntient, aliis plane ignotas & prolatu difficillimas 2), patet, quam sit necessarium, ut scribendi characterum (non figura quæ ut plerisque eadem sit optamus, sed) numerus, valor & usus in unaquaque lingua æque diversi determinentur. Idem igitur alphabetum, ut loquuntur recentiores, invariatum omnibus linguis obtrudere, uniusve idiomatis orthographiam in alterum, hac neglecta differentia, transferre, ineptum est, multisque modis incommodum. Hinc vero simul emergit, quam sit necessarium in litteris in linguam aliquam inferendis, peculiarem hujus pronuntiationem diligenter examinare. Alias enim haud poterit scriptura sermoni conformari, certa que fieri constans & perfecta orthographia.

A 2

Quod

2) Hanc mirandam fere dissimilitudinem & multiplicem varietatem facile observabis, si diversarum nationum ex gr. Fennorum, Suecorum, Gallorum, Rusorum &c. pronuntiationes probe contuleris. Rusi inter alia septem fere diversas species soni s proferunt, Galli quatuor (videbis in *cher*, *jour*, *sens*, *rose* & *hazard*) Germani tres (*Sanft*, *Spur*, *Schein*) Sveci duas (*sjö* vel *sköte*, *se*) Fenni vero in maritimis habitantes Finlandiæ oris uno tantum utuntur. Adspiratio, qua Græci σ , ϕ , χ a τ , π , κ distinguebant, & Latinis quondam & nobis hodie est ignota. Latini in lingua sua eloquenda talibus nunquam, ut videtur, usi sunt sonis, quales Suecorum *o*, *å*, *ö*, Gallorum *j* & *u*, Germanorum *sh*. Vocabula a ξ & ψ incipientia in ore Græcorum haud rara fuerunt; in Latinorum vero plane inusitata. Germani item & Sveci *st*, *sk*, *sin*, *fn* in initio vocabulorum sæpe adhibent; Galli duo priora evitant (a *schola école*, a *studio étude* formant) posteriora vero penitus ignorant. Concursum consonantium $\sigma\sigma$, $\tau\tau$, $\delta\delta$ Græcis valde displicebant, quare $\pi\lambda\eta\sigma\omega$ pro $\pi\lambda\eta\delta\sigma\omega$ &c. enuntiabant: in Suecorum vero Germanorumque ore sunt usitatissimi, nec ingrati e. s. p. Quid igitur rectius, quam ut Rusi septemplex ad sint signa ad varia sua s denotanda: Fenni autem inferiorum regionum non nisi unum adhibeant? & s, p.

Quod si vero accedit, ut in lingua quadam, si lo mandanda, si teris utamur alfunde mutuatis (quod evenit sæpissime), nihil impedit, quominus eadem progrediamur ratione. In alphabeto peregrino linguæ cuidam adsignando ea nempe adhibeatur cautio, ut sonis, qui in ore hominum, hæc utentium, occurrunt, elementaribus, accurate examinatis & distinctis, ex characteribus exoticis illi tantum adhibeantur, qui ad elementa vocum exacte designanda necessarii sunt. Omnes igitur litteræ, quæ sono carent peculiari in pronuntiatione linguæ, ad quam transferendæ sunt, ex hac prorsus excludantur: contra vero nullus sonus, a ceteris vere distinctus, suo destituatur characterè sibi proprio. Cum vero haud raro eveniat, ut in ore loquentium soni occurrant vel plures, quam litteræ in alphabeto, quod in linguam transfertur, vel tales, qui nulla ex his vere possint designari, hic defectus diligenter est supplendus, aut ex litteris alienæ linguæ, in mutuante superfluis, vel simplices vel compositos eligendo, aut novos omnino fingendo characteres.

Hæc igitur generalia scribendi principia secutæ, nationes & priscae & hodiernæ, orthographiam a peregrinis acceptam, qua magnam partem, varie immutarunt &, quæque ad suæ linguæ genium, conformarunt 3). Simul vero haud difficile est obser-

3) Sic Latini olim Græca θ , ϕ , χ excluderunt, f vero & v addiderunt. Eadem ratione Svæci, Germanique numerum litterarum latinarum suis å, ä, ö, ü auxerunt. Litteræ o in Svecica, y, ch in Germanica, ai, eu, u, j, in Gallica lingua sonum habent Latinis fortasse prorsus ignotum, Svæci sk, sj, Galli ch, Angli sh, Germani sch adhibent ad sonum simplicem, e gutture sibilantem exprimendum, cui in alphabeto latino non aderat character singularis. Utinam vero hæc litterarum peregrinarum ad linguæ cujusque genium accommodatio tempestive esset facta, & scite debiteque ab unoquoque populo peracta.

observatu, scripturam gentium nostri ævi plerarumque vitis laborare maximis. Quæ vel ignorantie veræ orthographiæ, vel servili exterae, præprimis latinæ, imitationi, peculiarem vernaculi sermonis genium negligenti, debita, paulatim irrepererunt, longoque sancita usu, jam penitus eradicari & deleri nolunt, sed regulis tantum necessariis definiri & stabiliri. Hinc tamen non est colligendum, prorsus non posse fieri, ut in quacunque lingua, stilo designanda, principia ista recte scribendi serventur. Quin ipsa vitia in peregrinis linguis obvia, ad ejus generis defectus, si consuetudine crebra nondum sunt familiares, in tuo sermone sollicito evitandos, vel si forte jam usurpantur, sed communi carent & diuturna approbatione, diligenter eradicandos, te maxime adhortantur.

Hæ igitur regulæ nobis ante oculos observatæ sunt, cum de *orthographia Linguae Fennorum* observatiunculas nostras, immaturas forte & mancas, ut solent juvenum, colligere atque in disertationem Academicam connectere inciperemus. Velint Cives honoratissimi conatus nostros benigne excipere, errataque nostra amice corrigere. Nihil namque nobis jucundius erit, quam si, plurium monitis & observationibus adjuti, in Lingua Fennorum colenda aliquid præstare nos quoque poterimus. 4).

PARS

-
- 4) Ut Orthographia Fennica diligenter examinetur, & ad genium lingue eloquendæ apte stabiliatur, nostro maxime ævo summæ est necessitatis, quo non tantum sperare licet, ut in publicum demum prodeant fructus operæ laudandæ, quam pleno & perfecto *Lexico Fennico* elaborando in occidentalibus Fennicæ oris GANANDER & A-LAAN NAVARUDT, verum etiam Viburgi forte jam absolutum est cura

PARS PRIOR,

de Orthoëpia Linguæ Fennicæ.

Orthographiam præcedat Orthoëpia: ut recte scribendi norma definiiri possit, recta observetur pronuntiatio. Quæ in lingua Fennica eo diligentius examinetur, quo diversior est a pronuntiatione linguæ Svecanæ, quam plures nostratum, & elegantiar causa, & ob usum communium in utraque lingua litterarum, in una tamen aliter, quam in altera pronuntiandaram, imitari solent. Omnium igitur primo inquirere attinet, quot sint in lingua Fennorum Soni elementares, quomodo hi vere enuntientur, & quæ leges in iisdem conjungendis sint observandæ. Hoc facere in parte priori dissertationis nostræ tentabimus: in posteriori, si fatum est nobis, ostendemus, quo modo characteribus, Fennis hodie usitatis, elementa Sonorum, quæ in loquendo edunt, recte commode, perspicue & fideliter, ad tenorem principiorum orthographiæ, jam stabilitorum, exprimi & designari possint.

Sed in Orthoëpia Fennica definienda non parum difficultatis inde nobis occurrit, quod diversarum, quæ in diversis Fennicæ provinciis usurpantur dialectorum nulla est communis norma, quam in ceteris linguis usus hominum politiorum in urbe præcipua, regni & aulæ sede, præscribere solet. In scri-
tis

Cel. Dni PURGOLD, Gymnasii ibi florentis Doctoris, novum *Linguæ Fennicæ Vocabularium* (vide appendicem Tractatus, cui titulus: Ueber die Gewächskunde des Finlands, Bei Gelegenheit des öffentlichen Examens am Kayserl. Gymnasium zu Wiburg 1808). Quæ enim in Lexicis semel invaluit orthographia, ea manere plerumque solet, & usu sancita, posteriores respuit correctiones.

ptis quidem prævalere incepit modus loquendi Fennorum, qui ora maritima Fennicæ proprie dicte verius septentrionem habitant, ex qua scilicet terra plerique auctorum sunt progressi. Sed hæc ipsa dialectus *communior*, ut appellari solet, 5) neque omnis sibi consentit, neque a Scriptoribus constanter observata est. Præterea cum nos Orthographiam ex Orthoëpia corrigere velimus, non libri nobis sunt consulendi, sed eloquium plebis rure degentis, linguarumque peregrinarum ignaræ. Neque unius tantum provinciæ, sed omnium idiomata examinanda sunt, ut Soni elementares, omnibus communes, quibus itarum lingua continetur, observari possint.

A. De Sonis elementaribus.

Accuratissime instituto, sæpeque repetito orationis Fennicæ examine, atque in varias ejusdem dialectos earumque enuntiationem diligentissima adhibita animi attentione, non plures in ore Fennorum discernere potuimus Sonos elementares, *communes*, quam VIII Vocales (Ljud) & XI Consonantes (Ljudstafvar). Illi, quorum quisque jam longius effertur jam brevius, hisce exprimi solent Characteribus: a, å, o, ö, u, y, e, i, cum breviter sunt eloquendi, si vero longius, geminantur eadem litteræ (aa, åå, oo, öö, uu, yy, ee, ii). Consonantes

5) Vid. Dissert. de præcipuis dialectis Linguae Fennicæ part. I a J. SARELIO, Præfide immort. PORTHAN, in lucem edita, Åboæ 1801, cui nos multum debemus.

tes his designantur litteris: *h, k, l, m, n, p, r, s, t, j, w.* 6).

Difficillima est res Sonos hosce, qui ore Fennorum proferuntur, calamo depingere, nec valde necessaria, cum iidem omnibus, qui linguam callent, sint notissimi & a Rev. JUSLENIO (v. præfat. Lexici Fennici §§ 6—10) jam indicati. Quoniam vero ille summus quidem Fennicæ linguæ magister, non omnia, nobis quidem iudicibus, exhaustit: eorum gratia, qui veram pronuntiationem auribus suis non ceperunt, nos instituta comparatione inter Sonos linguæ Fennicæ & aliarum, maxime Svecicæ, nobis notissimæ, pauca addenda putavimus.

Soni Fennorum vocales *a, å, ö, e, i* a nostratibus pariter fere ac a Svecis Germanisque enuntiantur, excepto tamen *å*, quem Fenni e largiore, quam Sveci, ore edunt. Præcipue autem notanda est litterarum *o* & *u* pronuntiatio, quarum illa a Fennis, ut ab Italis, eodem semper dicitur sono, quo Sveci suum *å* in *år* vel *o* in *ock* (omicron) Germanique in *Gott, von, Dorff* pronuntiant. Litteræ *u* vero medius est sonus inter *o* & *u* Svecorum, i. e. nec tam aperto & rotundato, quam *o* (omega) nec tam compresso & adstricto ore, quam *u* Svecorum enuntiat. Quod, si ex. gr. Svecorum *mor* & *mur* cum Fennorum *muu*, vel *os* & *ur* cum *uusi* contuleris, facile observabis. Quin paulo apertius quam Gallorum *ou* & Germanorum *u* (quæ ipsa pinguiora sunt quam Svecorum *u*), *u* Fennicum eloquendum esse nobis quidem videtur.

Con-

6) Sonos *j* & *w* vere esse consonantes a vocalibus *i* & *u* in Fennorum æque ac in Svecorum Germanorumque sermone jure distinguendos, demonstratu hodie haud erit necessarium. Qui in re dubius hæret, § 8 in Præfat. ad Lexic. JUSLENI Fennic. perlegat, nec ulterius hæsitabit. Neque ullus forte jam est, qui *å, ö*, hodie inter diphthongos referre velit.

Consonantes vero characteribus *h, l, m, n, r, s, w* denotatæ eadem fere sunt, quas Sveci Germanique iisdem sæpissime notant litteris. Quod idem de *j* in initio vocabuli valet. In medio autem inter duas vocales positum (ut in *māja*) hæc littera non ut in Svecana lingua ex. c. *nöje*, duplex sonat, nisi geminatus sit character, sed simpliciter pronuntiatur, ut in Svecorum *bejaka* & Germanorum *bejahren*. Lenior item est sonus litteræ *s* inter vocales in ore Fennorum, quam Svecorum: compares e. c. *riifun* cum *resa*.

De litteris *p, f, t* demum observandum est, easdem in ore Fennorum aliter, ac in Svecorum, consvete sonare. Media enim pronuntiatio, qua vocalis *u* a Fennis emittitur, etiam de Consonantibus *p, f, t* valet. Quæ nec tam leniter, quam *g, b, d*, nec tam fortiter quam *k, p, t* e Svecorum & Gallorum ore eduntur. Quod quisque facile observabit, si hos sonos, cum in initio vocabulorum, ubi a nostratibus pariter fere ac a Germanis enuntiantur, tum maxime in medio illorum, ubi Fenni a pronuntiatione exterorum prorsus abeunt, attenta aure examinaverit. Confer e. c. Svecorum *lega* & *leka*, vel Germanorum *legen* & *rekel*, cum Fennorum *wisa* & *liisa* — Svec. *lida* & *lita*, vel Germ. *leiden* & *reiten*, cum Fenn. *lito* (congeries) & *liitoš*, — Svec. *nabo* & *nypa*, vel Germ. *leben* & *riepel*, cum Fenn. *napa* & *riipi* (rete, quo scænum continetur): item Svec. *kula*, *pil*, *ty* cum Fenn. *futšo*, *pišo*, *tuo*, ne quid de *k* Svecorum ante vocales mitiores dicamus, quæ sonum ejus prorsus mutant. Nativorum certe Fennorum aures offendis, si Fennice loquens *f, p, t* vel *w* eodem pronuntias modo, quo *g* vel *k, b* vel *p, d* vel *t, o* vel *u* in ore Svecorum audiunt.

Sed exteri etiam leniorem harum litterarum a Fennis fieri pronuntiationem non possunt non observare, cum Consonans

illas antecedit: cum e. c. concurrunt *mp, nē, nt, lf, lt, rf, vt*. Multi igitur etiam scribunt *mb, ng, nd, lb*. Quod tamen an recte fiat, dubitamus. Fortius certe in ore Fennorum vel Aboënsium & Austro-Ostrobottniensium, (qui tamen hasce litteras mollius, quam ceterarum dialectorum amici, enuntiare solent), e. c. *lintu, lanka, ampu* sonant, quam *linda, länge, kamba* in ore Svecorum: neque tamen ut in *lunta, lunka, amper*. Parumque omnino, ut nobis videtur, peccat, qui *f, p, t* in *hanko, lanka, ampu, hampon, lintu, vanta, silia* pariter fere ac in *hako, lako, hallo, arka, apu, hapain, halpa, marpu; litu, rata, wirta*, pronuntiat.

Geminata vero *f, p, t, (ff, pp, tt)* etiam e Fennorum ore paulo asperius sonant & ad Svecanam propius pronuntiationem accedunt. Conferas e. c. Svec. *laka & lucka* cum Fenn. *laffi & wiaffo* — Svec. *mata & matta* cum Fenn. *mitta & mitta* — Svec. *ropa & lappa* cum Fenn. *ryppy & ryyppi*: item in *munkki, hamppu, minttu* a Svecorum *munk, hampa, mynta* derivatis.

Ad hos vero Sonos elementares, omnibus omnino Fennis ubique usitatos, accedunt Soni tres consonantes, certis *dialectis propriis*, ideoque in quibusdam tantum provinciis observandi. Hujus generis sunt:

I. Consonans *d*, quam ab incolis territorii Aboënsis fere ubique, nec non Satakundiæ & Ostrobotniæ meridionalis passim, tremula fere inter *l* & *r* versante lingua enuntiarī audies. In quo igitur sono describendo rem acu haud tetigisse videtur JUSENIUS, cum (l. c. § 6. litt. d.) illum pariter ac Svecorum *d* in *heder, fader*, vel Germanorum in *edel, adel*, e-
loquen-

loquendum statuerit. Videtur quidem hic sonus linguae Fennicae proprius esse; mire tamen in eo edendo laborant pluri-
mi Fennorum, Alii ejus loco interdum **t** adhibent (*matoja* pro *madoja*; alii, *Tavasti* e. c. nec non pauci Aboenses vel **l** vel **r** maxime in ultima syllaba substituunt. Karelii vero illisque finitimi Savones, omnesque Ostrobotniae septentrionalis incolae illum profus omittunt, 7). Verba igitur Aboensium *madon*, *odotan*, *kuuden*, *tahdon* in ore quorundam Tavastorum *ma-
lon*, *olotan*, *kuulen*, *tahlon*, in aliorum *maron*, *orotan*, *ku-
ren*, *tahron*, in Kareliorum autem & Borea-Ostrobotnien-
sium, *maon*, *oetan*, *tahon* & **l**. p. sonant.

Hujus autem Consonantis ad usum quod attinet, tenen-
dum est, Aboenses illam aut solitariam inter vocales, aut in
concurſu **hb**, quasi cum **t** alternantem, hujusve subsidii vel
vicarii loco adhibere, ut ex allatis jam patet exemplis. Im-
mo in vocabulis aliunde mutuatis iidem Fenni interdum tremulum
illud **h** adhibent (*sedeli* a Svecorum *sedel*) quod dialecti ceterae
semper in **t** convertunt (*seteli*). In initio vero vocabulorum
tam indigenorum, quam exoticorum Fenni nunquam eandem
proferre valent; e. c. *dom* Svecanum vel Aboice loquentes in
tuomio (non *duomio*, ut quibusdam placet scriptoribus) trans-
formant, 8).

B 2

II, Con-

7) Ubi vero Karelii **w** aut **j** pro excluso **h** substituere videntur (quod
observat PORTMAN dis. cit. pag. 18), illud inde derivandum est,
quod illi, aperto ore loquentes, **u** & **i** intra duas vocales emittere
haud valent, nisi oclerrimo interjecto **w** vel **j** (*rauman* pro *raudan*,
neijet pro *neidet* &c). Commutatio autem consonantium vera hic
non adest, quia de re fusus infra.

8) Hocce **h** aboense, aut solitarium aut in **hb** occurrens, a **h** illo in
concurſibus **nd**, **hd** a quibusdam Fennorum Scriptoribus usitato (vide

II. Consonans ille blæsus, quem littera z vel ß exprimere solent, cujusque sonum JUSLENIUS his describit (l. c. § 6. litt. 1): " ß conjunctæ sonum efficiunt aliis gentibus non dictu facilem, eundem tamen, ni per omnia fallor, quem th Anglorum, productum lingua dentibus interpolita"; VHAEL autem rectius quam ille hoc modo exprimit (Gramm. Fenn. Cap. 1, § 3): " ß pronuntiatur paulo fortius, quam s blæsum (vel fere ut z Gallorum in hazard). Hunc sonum Karelii veteres intulisse videntur, nostro autem ævo maxime in Karelia, in Savolaxia passim, nec non in Finlandiæ meridionalis & occidentalis partibus quibusdam, (Karislojo, Virifanoja) &c. est notus, nec nisi in mediis vocabulis, pariter ac d Aboënsium, usitatus (kõson vel kason, mejsä). Loco hujus z Karelici substituunt Aboënses & Uleaburgenses plerumque tt , ceteri vero Fenni ht adhibent: mettä e. c. & mehtä pro mejsä, kaston vel kaston pro kason. Fenni vero litterati, sermonem suum ad litteram scriptam, non ad elocutionem regionis suæ populari conformantes, pronuntiationis autem Karelicæ aut ignari aut negligentes, cupideque svezizantes, z hocce Karelicum ut ts , vel ut Germanorum z eloqui solent. His v. c. ije, mejsä, kaisen sonant iise, mettä, kaitsen. Quæ vero recentiorum elocutio, nulli licet dialecto propria, an, quia non Svecis solum, sed plurimis etiam Fennis facillima est prolata, approbata sit, hic non est judicandum. Nos quidem putamus z hocce facilius in ss converti nosse, ut fere usu venit in Karislojo, ubi mettä, kaston, iise &c. fere pronuntiant.

III. Ubi in vocalibus e lingua Svecana mutuo acceptis z (simplex vel compositum) adhaferit, idem a Fennis, Svecorum

supra pag. 10) diligenter est discernendum, nam sono prorsus alio d in hända, randa, pesda quam in hädän, rahdun, pedan pronuntiat.

rum aecolis, maxime Aboënsibus, sæpe servatur, a ceteris vero in *w*, & *f* geminatum (*ff*) in *hw* convertitur, ex. gr. a Svecorum *far* Aboënses *svetizantes* *suari*, alii vero Fenni plurimi *waari* formant, a *fat* *fati* vel *wati*, a *kaffe* Aboëns. *kaffe*, alii *kahwe* faciunt. Sunt item voces, in quibus *f* in *h* vel *p* transit, ut infra ostendetur.

Quæ de cetero sunt dissimilitudines inter sonos nostros & peregrinos, easdem Fenni vel Aboënses in vocabulis, quæ mutuo acceperunt, ad tenorem elocutionis suæ adtemperant. Ita pro Svecorum *b* & *p*, *g* & *k*, *d* & *t*, nec non *bb*, *gg*, *dd* suis *p*, *f*, *t* Fenni omnes utuntur. Sonum *o* (*omega*) vel in *uo* vel *uu*, æque ac *u* svecanum in *u* suum transformant; *sk* vero sibilans (quale in *sköte*) quidam in *f* alii in *ff* redigunt. ex. gr. *e mor* faciunt *muori*, *e mod* *muudi*, *e bann* *panna*, *e gaffel* *kaffeli* vel *kahveli*, *e dom* *tuomio*, *e mur* *muuri*, *e sabbat* *sapattii*, *e sladd* *lata*, *e vagga* *waku*, *e paganus* *patae na*, *e schäs* *kääsy* vel *kääst*, & l. ult.

Hic jam est, quantum nos quidem discernere valuimus; numerus, indoles & valor Sonorum elementarium Linguae Fennicæ, tam communium, quam dialectis propriorum. Verum quis forte quasdam, quæ in alphabeto & scriptis Fennicis occurrunt, desiderabit litteras: nimirum *c*, *q*, *x*, *b*, *g*, *d*. Ex his autem *e* & *q* a sono *f* nil differunt, neque *x* aliter quam *ff* enuntiatur. Hæ igitur litteræ sonorum certe numerum haud augent, ideoque ad hunc non pertinent locum. Characteres autem *b*, *g*, *d* in concursibus *mb*, *ng*, *nd*, *ld* ab auctoribus quibusdam Fennicis adhiberi solent. Quid vero de iis, ut sonis, sentiamus, supra jam indicavimus.

De littera **g** ulterius observandum est, in quibusdam vocalibus, quæ declinatione vel alia flexione **f** perdunt, a plerisque Fennorum scriptoribus, loco **f** excisi, **g** interdum adhiberi. Sic a *susu*, *lusu*, *pusu*, *wasa* pluralia formant *sugut*, *lugut*, *pugut*, *wogat*, ab *huokaan* *huogate*, a *forfo* *forgotan*, & antehac *hãrgån* ab *hãrkã*, *reigtã* a *reikã* & s. p. Quod vero **g** non nisi ab hominibus quibusdam litteratis, elocutioni svecanæ advetis, litteræque scriptæ adhærentibus, pronuntjari observavimus. Fenni namque pure loquentes verum **g** nullibi proferre nec solent nec valent, sed a) vel verum **f** (*tyfõ* *forfotan*, *huokata*) b) vel **w** celerrimum adhibent (*huowata*, *formotan*, *sumut* a *susu*, *lumut* a *lusu*, *rawot* a *raso*, *tywõn* a *tyfõ*, *tuhwan* a *tuhfa*) — c) vel **j** interdum inserunt (*tyjõ* a *tyfõ*, *reijãt* a *reikã*, *hãrijãt* a *hãrkã*): d) vel denique nullam loco **f** exclusi substituunt litteram (*arat* ab *arfa*, *forotan*, *ulos* ab *ulfo*, *tuban* a *tuhfa*). Hiatum tamen, similem illi, qui in pronuntiandis svecanis *beediga*, *beifra*, & Germanis *beendigen*, *Thuung*, observatur, interdum inserunt, ut ope hujus moræ vocales concurrentes a diphthongis & longis vocalibus distinguant. (*nã.õt* a *nãfõ*, *su.ut* a *sulu*, *lu.ut* a *lulu*, *wa.at* a *wafa*, *ty õn* a *tyfõ*, quæ aliter quam *sunt*, *luut*, *tyõn* a *suu*, *luu*, *tyõ* sunt pronuntianda).

B. De Sonis conjungendis.

Enumeratis igitur elementis linguæ Fennonicæ, jam ad *Leges*, quarum ad normam illa in vocabulis formandis adhibentur & conjunguntur, observandas progrediemur. Quæ observatio magnæ est in vocibus rite flectendis, componendis, novis creandis & peregrinis mutuo accipiendis utilitatis, i-
deoque

deoque, cum orthoëpia linguæ describenda est, fraud omittenda. Non tamen vacat omnes istas explicare leges, quarum aliæ plerisque linguis sunt communes, aliæ Fennicæ propriæ. Sufficiet nobis eas tantum indicasse, quæ a genio linguarum, nobis vicinarum, maxime abeunt, & in ore nostratum idiotismi fere speciem ferunt.

I. Soni vocales *a, o, u* (*primarii*, quos VHAEL appellat majores, PORTHAN vero duriores) infociabiles sunt cum *ä, ö, y* (*secundariis*) minoribus, mollioribus) *i, e* illi in eodem vocabulo nunquam cum his concurrunt: *e* & *i* vero (vocales *mediæ*) indifferentes sunt, & cum utrisque, primariis & secundariis facile congruunt. Hæc est regula generalis, in vocabulis terminandis probe servanda. Quod ut debite fiat, attendas, necesse est, animum ad vocales in radice, immobilive vocabuli parte obvias, utrum primariæ sint, an secundariæ, vel mediæ, ut scilicet syllabæ finali talem tribuas vocalem, quæ cum illis est consociabilis. Primaria in radice primariam in terminatione requirit, & secundaria secundariam analogam vel alternantem. Vocales autem radicales si omnes sunt mediæ, nulla primaria, in forma terminante secundaria est utendum. Analogæ vero vocales, ad tenorem hujus regulæ alternantes, sunt *a* & *ä*, *o* & *ö*, *u* & *y*. e. e. *maasta* non *maasta* a *maa*, *päästä* non *päästä* a *pää*, *puuffo* non *puuffo* a *puu*, *merä* non *merta* a *meri*, *tietä* non *tietä* a *tie* & s. p.

Nec de flexionibus & derivationibus solis, sed de particulis etiam inseparabilibus, *pa* & *pä*, *so* & *sö*, *sa* & *sä*, fini vocum adjungendis, hæc valet regula. Sic *sepa* non *sepa* a *se*, *oliso* non *oliso* ab *oli*, *kusa* a *ku*, *miä* a *mi* &c: item in aliis quibusdam compositionibus (*ijankaittinen* ab *ijän* & *kaitti*): nec non in plurimis vocibus peregrinæ originis (a *mysia*

nysfa sit mysy, a ryfsja ryfsá). Recentiores vero auctores nonnulli in novis introducendis vocabulis hanc regulam male negligunt & scribunt e. c. tyranni a *tyrann*, quod juxta linguæ genium vel in *tyränni* vel *turanni* converti debeat. 9).

II. *Diphthongi* in eloquio Fennorum sunt usitatisimæ, *Triphtongi* vero, quæ elocutionem nimis molliunt, rarissimæ. Vocales autem ad normam regulæ nuperrime allatæ consociabiles, breves (non longæ) in diphthongos coire possunt: non tamen omnes usu veniunt, quæ ita oriri possint. Vocabulum præterea consociabilem *aliæ* semper, in quacunq; vocabulorum syllaba sint collatæ, ut diphthongi enuntiantur, quales sunt *ai, oi, ui, äi, öi, yi, ei, & ie* plerumque, e. c. *taiwain, foi, huilu, päiwá, löi* (a *lyön*), *myi* (a *myyn*), *rei, fi, tie, awain, vierkoin, rakettuin, määrrättäwain, murhet-sien* &c. *Aliæ* vero, *sc. au, ou, uo, äy, öy, yö, eu, iu* in prima solum syllaba sono diphthongica efferuntur, e. c. *tou-la, loukko, juoma, käyrä, löyly, yö, keula, liufas, 10):* in cete-

9) Hinc colligas, vocabula quoad vocales his similia Svec. *ära; öron, hyra* vel Germ. *Säule, Wägerung, Gründung* in fennica lingua non reperiri: sæpe vero occurrere exempla compositionis, qualis in *enär, ila*.

10) Karelii harum diphthongorum quasdam, aliis Fennis usitatas. *au, ou, eu, äy* &c. puta, sequente consonante solitaria; liquida *l* vel *r*, respuunt & *u* sæpe in *f, p* vel *t* transmutant, e. c. *naksa, nelsa, nakris, kopra, petra* &c. pro *naula, neula, nauris, foura, peura* illi enuntiare solent. Aboënsium vero quidam australiorum *ae, ao, oe, eo, öy* &c. pro *ai, au, oi, eu, äy*, interdum adhibent, e. c. *waewa, kaola, koera, neola, öyri* &c. pro *waiwa, kaula, foira, neula, äyri*.

ceteris namque quibusvis syllabis eadem si consociatæ sunt, separatim quæque eæ emittenda e. c. *riusaus, rufous, ilautan*. Vocales ceteræ duæ collatæ, rarissime ut diphthongi pronuntiantur, sed vel in eloquendo separantur, vel evitatur concursus illarum, ut ex mox afferendis patebit. Quod idem de tribus valet vocalibus, immediate conjunctis, quæ sæpe quidem sunt obviæ, sed nunquam fere ut triphthongi pronuntiantur. Sic præterita verborum *uin, nain, woin, nâyn &c.* quidam per *uein, naein, wein nâyin* formant: plurimi vero eadem & in præsentis & præterito forma utuntur (*uin e. c. & no & nabam* illis significat).

Regula autem hinc oritur utilisissima, memoriæ probe mandanda. Ubi nempe in vocabulis fluctendis duæ vel tres vocales immediate coeunt, indeque vel obscuritas formæ, vel diphthongus inuicata, vel triphthongus dissonans evenit, tales concursus diligenter evitandi sunt, vel excludendo, vel commutando vel interponendo.

Exclusio locum habet a) cum inter tres vocales concurrentes e est media (*lian non liean a lieka, uin pro uein, nain pro naein*, ut paulo superius est observatum), excepto cum e inter duas i esset inferenda (*iei*), non e sed i prius evanescit (*teitâ non tieitâ a tie*): b) ex uoi & ydi, u & y excidunt (*soita non suoita a suo, tsille non tydsille a tyd*): c) vocabulum vero *ruoka* in *ruan* vel *ruwan*, non *ruoan* nec *roan* transit, pariter ac plerique *tohta* pro *tuohta* a *tuohti* pronuntiant.

Commutatio vero in eo observatur, quod a) vocalis longa in concursu corripitur: in diphthongis enim non nisi vocales breves consociantur (*maita non maaita a maa, puika non puuilla a puu*): b) duorum i (ii) concurrentium prius læpe

sæpe in *e* convertitur, evitandæ ambiguitatis causa (wein non wien a wien, sonneisse plerumque pro sonniisse a sonni): c) *i* inter duas vocales haud raro in *j* transit (ajan non aian ab aisa, falsoja non falsoia a falso): d) pronuntiationis emolliendæ causa plurimi etiam *h*asta non *h*aasta ab *h*aasti formant.

Interponendo demum ingratos vocalium concursus Fenni evitant, quod *duplici* fit modo, vel hiatu interposito, vel ope consonantium *j* & *w*, vocalibus coëuntibus interjectarum. Hiatus quippe non in iis tantum vocalibus, quibus Scriptores *g* inleverunt (vid. supra pag. 14.) occurrit, sed in plurimis etiam aliis, quæ illi in scribendo non denotarent, est obvius. Talia sunt vocabula a) pleraque, ubi concursus adest trium vocalium *uein*, *noein*, *laupioisse* &c. quorum in medio fit pausa, *u. ein*, *na. ein*, *laupi. oisse*: b) in quibus ejusmodi sunt obviæ vocales duæ collatæ, quæ sono diphthongico pronuntiarî haud solent (quales e. c. *au*, *ou*, *ay*, *oy*, *eu*, *iu* in secunda syllaba, ut supra indicavimus, item *ia*, *ia* &c.) quæque morâ interposita separantur. Sic vocabula *fiusaus*, *fiusa. elen*, *rufous*, *laupias*, *ilautan*, ut *fiusa. us*, *fiusa. elen*, *rufa. us*, *laupi. as*, *ila. utan*, *ilahutan*, sunt eloquenda: alii tamen Fenni *w* aut *j* loco hiatus inserunt (*fiusawus*, *laupijas* &c.): c) vocabula omnia composita: *esisa*, *isotsa*, quæ *es. isa*, *iso. isa* pronuntiantur.

Consonantes autem *j* & *w* interseruntur a) ubi *i* & *u* vel *y* primo aut medio loco ingrediuntur. Facilius enim earum fit pronuntiatio, si post *i* immediate *j*, post *u* & *y* vero *w* celerimum additur, (*lauwan*, *ruwan*, *reijan*, *laupijas*, facilius efferuntur quam *lauan*, *ruan*, *reian*, *laupias*). Hocce autem *w* præterea b) vel pro *f* excludendo, vel pro hiatu est usitatum, quod ex allatis colligere poteris (*rawon* pro *ra. on*,

on, tuhwan a tuhſa, ndwypin pro ndyin, nawun a nauſua, item fiuſawus, laupiwus).

Hujusmodi igitur excluſiones, commutationes & interpoſitiones omnibus omnino Fennis placent: præcipue vero Karelii, eorumque accolæ eaſdem adhibent. Plane enim excluſo *h* aboëni, concursus vocalium non poſſunt non eſſe apud eos frequentiores. Sic ex *ſybdân*, *wiedân*, *juodan*, *weden*, omiſſo *h*, *ſybdân*, *wiedân*, *juoan*, *wéen* reſtant. Quos vero ingratiſſimos concursus Karelii evitant & pro *uoa*, *yda*, *ieä*, *ee*, illi *uuma*, *ypwä*, *iija*, ei eloquuntur (*juuwan*, *ſpywän*, *wiijaän*, *wein*). Aliis autem *j* vel *w* interjiciunt (*neijet* pro *neiet*, *neidet*, *rauwän* pro *raudan* *rauan*, *naijan* pro *naidan*, *naiän*): vel hiatum interponunt (*wuo eſä* pro *wuodeſä*, *o-o-tan* pro *odotan*).

III. Quod ad Conſonantes attinet, Fenni iisdem parce plerumque utuntur. In medio vocabulorum unam sæpiſſime, duas aliquoties, tres vero rariffime ſine intercedente vocali conjunctas invenies. Solitariae autem promiſcue ponuntur, nec de uſu earum memoratu dignum quid eſt, niſi quod *h* Aboicum & *j* Karelicum vocabulum nunquam incipiunt, ut ex antecedentibus patet.

De duabus autem Conſonantibus, immediate connectendis; obſervandum eſt, paucas tantum earum eſſe conſociabiles, illasque non niſi in ordine certo. Hi nobis obſervati ſunt conſonantium concursus linguæ Fennicæ proprii: *hf*, *hl*, *hm*, *hn*, *hr*, *ht*, *hj*, *hw*, *hd*; *ff*, *fl*, *fr*, *fs*, *ff*; *lh*, *ll*, *ll*, *lm*, *lp*, *ls*, *lt*, *lj*, *lw*; *mm*, *mp*, *mj*; *nh*, *nl*, *nn*, *ns*, *nt*, *nj*; *pp*, *pr*, *ps*, *pj*; *rh*, *rl*, *rn*, *rs*, *rp*, *rr*, *rs*, *rt*, *rj*, *rw*; *ſl*, *ſm*, *ſs*, *ſt*, *ſj*, *ſw*; *tl*, *tr*, *tt*, *tj*, *wj*. Exempla cumulata nemo deſiderabit.

— Obſerves vero: *h* & *w* in pauciſſimis tantum Fennicæ pa-

roeciis geminari (raha pro raha, luuwwa pro luuwa vel luwa). — j geminatum pronuntiarī, ejus vero loco ij a plerisque scribi (nujja vel nuuja): — hd Aboicum esse, Tava-
fiosque pro eo hl vel hr, Karelios vero h solitario uti (vid. pag. 11.): — h in hl, hl, hm, hn, hr, ht, hj, hw, hd, æque ac in lh, nh rh nec ut k in Svecorum *makt* eloquendum, nec ut h in Germanorum *mahl* omittendum; sed vera adspiratione, mitiori tamen, quam Germanorum ch in *nacht*, enuntiantum (wasto, tuhka, lahna, alho, orhi): — n ante t (nt), sono natali pariter ac a Svecis & Germanis reddi: — pro hj, tj, lj, mj, nj, pj, rj, sj, tj, wj, quæ in partibus Finlandiæ inferioribus dicuntur, dialectis superioribus hi, ti, li, mi, ni, pi, ri, si, ti, wi placere (pohja, hafia, sowelias, tuomio, kunnia, hopia, liria, asia pantio, kawio pro inferiorum pohja, hafia, sowelias & s. p.): — nh, lh, rh Aboënsibus familiares, Tavastis sæpe, Kareliis plerumque displicere & varie ab his immutari (orhi e. c. in orih, unhottu in unohthu, perhetty in perehty): — rl inferioribus este proprium maxime in nominibus propriis (Kaarla, Tourla): — ll, lr, tr, pr Kareliis tantum esse nota, in primis in vocabulis, quæ alii diphthongorum ope proferunt (nalla, nakris, kopra, petra, tetri pro naula, naurisoura, peura, teuri vid. supra pag. 16.): — quod idem de sm est asleverandum (osma).

Conjunctio trium Consonantium duplici fit ratione. Sunt enim vel omnes diversæ, vel duæ identicæ h. e. una geminata. Hujus generis in ore Fennorum occurrunt: mpp, lpp, lpp, ltt, npp, ntt, rpp, rtt, quorum exempla sunt haud rara, æque ac nss in kanssa, quod alii tamen kansa (per s simplex) eloquuntur. — Diversas tres Consonantes non nisi rff & rst in paucis Fennorum vocabulis (hurskas, wirsta) conjunctas vidimus: — lff & mps in quibusdam tantum dialectis consociantur (pulesias, limpsis).

In vocabulis pure Fennicis præter allatos duarum & trium consonantium immediatos concursus, nullos nos observare valuimus. In iis vero, quæ peregrinæ sunt originis, Fenni, maxime aboënses, plures consonantium compositiones admittunt, quales sunt: *tš*, *pl*, *pt*, *tl*, *let*, *nēt*, *ntr* (*putsan* a Svec. *putsa*, *kapteini* a *kapten*, *kapittumi* a *capitulo* *polstari* a *bolster*, *konsti* a *konst*, *fendrikki* vel *wentrikki* a *Fendrik*) &c. — Multas tamen peregrinas consonantes Fenni juxta genium elocutionis suæ vel transeunt vel transponunt ex. gr. *kis* in *tš* (*auffsioni* ab *auction*, *auktšion*): — *kst* in *št* (*tešti* a *text*, *tekšt*): — *kt* & *ft* in *ht* (*wahti* a *vakt*, *tahti* a *tast*): — *vl* & *vr* in *ul*, *ur* (*höyli* a *höstlig*, *hövlig*, *hou.rätti* vel *homi.rätti* ab *hofrätt*, *hourätt*, *taulu* a *tafla* *taula*) &c. Atque plurimos consonantium concursus omnino, qui a peregrinis linguis, maxime a Svecica in Fennicam transierunt, inferioribusque dialectis familiares sunt, superiorum amici adhuc vel evitant vel varie mitigant. e. c. a *kapiten* infer. *kapteini*, superior. *katteini*, a *kaffe* infer. *kaffe*, super. *kahwe*, a *fendrik*, infer. *fentrikki*, super. *wenterikki*, & s. p. formant.

Ex his vero allatis ratio apparet, cur Fenni in vocibus spectandis & componendis inusitatum consonantium concursum evitent & priorem infociabilium varie immutent. Sic *n* ante *f* (*nf*) sono nasali vel in compositionibus editur (*minfä* a *min* & *fä*): — *m* vero ante *f* & *t* in *n* transit (*lunta* non *lumta* a *lumi*): — *e* contrario *n* ante *p* in *m* mutatur (*empä* ab *en* & *pä*, *ompa* ab *on* & *pa*): — *p* ante *t* evanescit, vel intercedente *s* (*lasta* non *lapsta* a *lappi*): — *h* ante *s* in *t* vertitur (*kassi* non *kahsi*, sed *kahden*, *kahlen*, *kahren*, *kaben*, *haaksi*, *haden*): — *tn* in *hn* (*näbue* pro *näkne*, contractum a *näkene*): — *let* in *št* (*juosta* non *juošta* pro *juošteta*): — *ten* in *sn* & a superioribus in *sf* (*jänesnä* vel *jänesjä* non *jäneksnä* a *jäneksnä*): — *pt* vel *tšt* in *št* (*weistä* non *weiz-*
tš

(*tā* vel *weittā* a *weizi* vel *weitsi*) — In sæpe in *ŋ* esse non sine pro *ellene*: — superioresque *sn* in *ss* *hewoisa* pro inferiorum *hewoisa*, ab *hewoifena*) &c. transmutant.

IV. Quam autem parci sint Fenni in consonantibus congerendis, vel inde apparet, quod in initio vocum non nisi unam Consonantem solitariam ante vocalem immediate adhibent. Verba & syllabæ, a duabus vel pluribus consonantibus incipientes, apud Fennos haud sunt originariæ, nec a nostratibus enuntiari possunt. Pauci tantum Fennorum, Svecis accollæ, maxime in oris Aboënsibus degentes, in vocabulis peregrinis a *bl*, *br*, *dr*, *fl*, *fr*, *gl*, *gr*, *kl*, *kn*, *kr*, *pl*, *pr*, *tr* incipientibus, utramque servant consonantem, ita sc. ut Svecorum *g* & *k*, *b* & *p*, *d* & *t* in Fennorum *f*, *p*, *t* & *f* plerumque in *p* transmutent, ex. gr. *plati* a *blad*, *preiwi* a *bref*, *trenki* a *dreng*, *flikka* vel *plikka* a *flicka*, *frouwa* vel *prouwa* a *fru*, *Frau*, *flasi* a *glas* *fryyni* a *gryn*, *klinkku* a *klinka*, *knappi* a *knapp*, *fransi* a *krans*, *plootu* a *plåt*, *prowasii* a *prost*, *trumpu* a *trumma* & l. p. Quin pronuntiatio hæc exotica quibusdam adeo placet, ut indigena pauca, *krapisen*, *priiskotan* &c. pro *rapisen*, *riiskotan* eloquantur. Plerique vero Fennorum, præcipue superiorum regionum, ex hujus generis vocabulis priorem excludunt consonantem (*lati*, *reivi*, *renki*, *liffa*, *rouwa*, *lasi* &c.). Eadem quoque ratione Fenni maritimi a *Skola* formant *foulu*, a *spegel* *peili*, a *skuta* *kuuto*, a *spröt* *pröötti*, a *skreddare* *krattari* vel *krättári*, aliis *röötti*, *rättári* &c.

C. De Accentibus.

Accentum Linguae Fennonicæ observare, res est fallacima, Prima enim vocalis, sive longior sit sive brevior, sive diphthongus, semper acuitur (*wáája, wája, wájaan*: — idque non in indigenis solum, sed in exteris etiam vocabulis, quorum pronuntiatio ad genium eloquii Fennici accommodatur (ab *armée e. c.* formatur *ármea*). Hinc haud raro accidit, ut in ore nostratium vocalis brevior acuatur, longior vero vicina sono submisso enuntietur (*mútaan*): in qua re lingua Fennica cum Græca & Latina consentit, a Svecica vero & Germanica longe differt, in quibus non nisi longa syllaba accentu intenditur 11).

Accentum hunc, qui primam semper occupat ejusque vocabuli syllabam, Cel. PORTHAN nominat *tonicum* 12). Loquitur vero idem & de accentu Fennorum euphónico, qui in vocibus ultra tres syllabas porrectis est notabilis, & vocum tetrasyllabicarum tertiam, hexasyllabicarum tertiam & quintam, octosyllabicarum tertiam, quintam & septimam syllabam afficit, sed in pentasyllabis & heptasyllabis paulo diversam sequitur rationem, quique maxime in oratione ligata, (in primis in Fennorum *Kunot*) sed in soluta etiam sæpe, solemniori præfertim, observatur. Utrumque horum accentuum nos tonici nomine illum *majoris*, hunc *minoris*, in sequentibus insigniemus.

Horum

11) De Accentibus linguae Svecicæ vide egregiam dissertationem CLAR. VESTE in præf. ad Lexic. Svecano-Gallicum.

12) v. Ejusd. *Disert. de Poësi Fennica* pag. 8.

Horum vero accentuum neuter confundi debet cum accentu illo *distinctivo* vel emphatico, quem alii euphonicum & oratorium nominare solent, Fennicæ, cum omnibus aliis linguis, communi.

D. Observationes generales.

Quicumque jam indicatam linguæ Fennicæ pronuntiationem animo perpenderit, non poterit non animadvertere, eandem optime esse articulatam, nec simplicitate & facilitate ullam fere ei antecellere linguam. Respuit illa omnes sonos, qui vehementi organorum labore proferuntur, ut qui vel ex intimo guttore (Hebræorum ain & cchet, Germanorum ch), vel sibilando (Svecorum sk in *sköte*, Germanorum sch, Anglorum sh, th durius, ne plura Rusforum & Gallorum s afferamus), vel e naso eduntur (Gallorum n). Quod idem de iis valet sonis, qui jam apertius, laxius & mitius, jam vero pressius & constrictius a peregrinis emittuntur, ut Svecorum o & u, b & p, d & t, g & k: Quorum loco Fenni uno tantum utuntur sono inter illos medio, ut supra pag. 8 & 9, observavimus. Fatendum quidem est, *h* Aboicum & *z* Karelicum, quæ vicaria fere pro *t* & *g* censeri possint, hinc esse excipienda: quæ vero in paucis tantum Fennicæ provinciis occurrunt, & ex communi nationis lingua forte relegari debeant. — Eandem mediam viam Fenni in sonis conjungendis & vocabulis formandis antiquitus jam tenuerunt. Linguam enim nostram nec nimis rigidam, asperam & duram plures coeuntes consonantes, nec disolutam & effeminatam vocales congestæ reddunt, quod ex allatis colligere potes.

In universum elocutio Fennorum, velut agendi & cogitandi ratio ipsorum, est constans, firma & mascula. Neque dubium est, quin, si originariis linguae, usu consonantium & vocalium apte alternantium egregiae, laudibus favens olim accesserit cultura, linguarum antiquarum euphoniā assequi possit.

Non tamen est reticenda varietas illa, quae in ipso pronuntiandi modo, organorumque usu & motu inter homines diversarum (13) Fenniae provinciarum cultores deprehenditur.

D

Karelii

13) Notum est, Linguam Fennorum in variis terrae provinciis, in varias, valde diversas, abire dialectos. Quae, ex quo fonte primum sint exortae, qualis linguae originaria fuerit facies, quaque ad hodiernam formam perducta sit via, hodie deficientibus monumentis, quae Historiae linguae illustrent, & post tantas olim populi nostri commutationes, coloniarum transmigrations, bella, fugas, indeque derivandas linguarum confusiones, difficile omnino est investigatu. Probabile tamen videtur, nationes, ex quibus consistit Gens Fennorum in occidente (Suomalaiset, quo nomine incolae provinciae Aboënsis prae ceteris olim jam a vicinis distincti fuisse videntur, Hämäläiset, Kainulaiset, Karjalaiset, Aunulaiset, Virolaiset, Vatalaiset, &c.) ut in moribus & cultu, ita in lingua etiam antiquitus jam non nihil variasse. Quarum iterum commixtionis varietates linguae antiquiores fortasse sunt auctae. Sic e. c. vestigia dialecti Karelicae, quae in Karislojo, Virtanoja &c. observare licet, ex colonia Kareliorum quadam, istuc forte translata, ortum ducere videntur. Rusorum praeterea & Svecorum in Fenniam invasiones, utrorumque cum nostratibus consuetudo & commercia in mutandam & variandam linguam Fennicam non potuerunt non multum valere, cum & vocabula ab illis mutuari, & illorum pronuntiationem imitari soleant nostri homines. Quibus si addis, omnes omnino linguas, quamdiu usu teruntur quotidiano, perpetuis obnoxias esse mutationibus, satis perspicis, cur lingua Fennorum, nostro aevō in diversis provinciis, diversam adeo prae se ferat speciem. Quaevis fere parocia suos habet idiotismos, qui in certa familia, certoque

Karelii namque, eorumque accolæ, ut Russis sunt vicini, ita non vocalibus tantum horum plurimis illi utuntur (*harsniel-
ta, puusnielka, aprassa*), sed elocutionem simul horum aspe-
riorem lubenter imitantur. Præter jam allatos Kareliorum
idiotismos (quod & illis est proprium, quod d. Aboicum exclu-
dunt, quod diphthongos *au, ou, eu, oy, &c.* sæpe respiciunt),
hujus dialecti peculiaris ratio in eo cernitur, quod ore aper-
tiore & rotundato loquuntur, fonosque e gutture efflatos ad-
amant, unde vocalis *o* illis in tertia verborum persona fi-
nienda præplacet (*tuloo, suloo* pro aliorum *tulæe, sulæe*;
longum *a* (*aa*) ut diphthongum fere *oa* dicunt, (*lihoa, moa,*
hoastan pro *lihaa, maa, haastan*): *ä* vero (*ää*) ut *edä* (*ledä,*
rodä,

ex fonte egressi, eo insigniores facti sunt, quo majora essent habi-
tationum intervallo, & varia inter homines agrestes commercia.
Quapropter haud facilis est res, has dialectos certis distinguere aut
dignoscere finibus. Cel. PORTAN varietates hasce in duas refert
dialectos, *communioem* sc. & *savonicam*. In Novellis vero Aboëns.
(anno 1776 N:o 16) eadem quattuor statuuntur, quarum quæque
suis habet subdivisiones. Valet vero hoc de ea tantum lingua,
quam loquuntur Fenni, intra fines Magni Ducatus Finlandiæ degent-
es: nam dialectos extra obvias ediscendi & examinandi occasio no-
bis non contigit. Constat autem linguam nostratium, favente ter-
ræ situ, purissimam esse servatam, cultioremque & notiore, quam
æterorum Fennorum, (PORTAN. *disf. cit.* & IDMAN. *Försök att visa*
gemenskap emellan Finska och Grek. Språk. Åbo 1774, § 3. nec
non Præfat. a Cel. GADD conscripta). Pronuntiandi variationes,
notatu dignissimæ, in provinciis plagæ jam memoratæ occurrentes,
partim supra sunt allatæ, partim afferentur. Monere autem liceat,
ne, cum nos idiotismum quandam certæ cujusdam provinciæ com-
memoravimus, lector credat, eundem illius tantum tractus incolis es-
se proprium, omnibusque ibi usitatum, in aliis vero provinciis pla-
gæ ignotum. Post tantas hominum dialectorumque confusiones, ha-
rum adeo accurata ac locorum determinatio reddi haud potest.
Sufficit, si in una provincia præ altera certus valeat loquendi
modus.

rd, ped pro lērd, pdā,) nec non e fere ut & (tulāmmā vel tulāmmā pro tulemmā) enuntiant: vocabula longiora & polysyllabica affectant, horumque ultimam syllabam voce longiore & puriore edunt (firrkoffen, firrkohon pro firrkoffe, firrkoon, rakkahan pro rakkoon) &c.

Hæc autem, agrestis fere, judice PORTHAN (disf. cit. pag. 16), elocutio Kareliorum, in provinciis Fennicæ ceteris sensim coarctatur & mitigatur, quoque propius ad oras pervenis maritimas, eo concinniores & molliores reperies pronuntiationem. In locis maxime Aboënsibus Fenni, præter Svecanas voces, vocumque formas affectatas, ad eloquium, Svecis proprium sese ad temperant, ore adstrictiore voces enuntiant, vocabula varie contrahunt, syllabamque vocum ultimam, brevem sæpe excludunt (firrkoff' pro firrkoffe, firrkoffō pro firrkoffi) longiorem vero corripunt (firrkoon pro firrkohon vel firrkoon, rakkān pro rakkahan, rakkoon) & qui sunt alii Aboënsium idiotismi.

Mediam vero inter truncatam Aboënsium & agrestem Kareliorum pronuntiationem probe servatam, hodie deprehendes in ore incolarum ditionis Satacundiæ, Tavastiæ & Ostrobotnicæ. Quippe qui incoctam Superiorum, asperam & orientalem elocutionem emolliunt, Inferiorum autem nimiam sverizandi cupidinem evitant. Dialectus igitur purissima, nitidissima, ceterisque Fennis maxime placida, in his terræ regionibus, licet non ubique sibi plane similis, occurrit: quæ ideo in lingua Fennorum universa formanda basis loco commode poni possit; ea tamen adhibita cautione, ut ceteræ dialecti accurate consulantur, ex harum copiis illa studiose & scite ditetur, varietatum eæ potissimum, quæ plurimis placent, vel plerisque imitatu sunt facillimæ, usui communi diligentè commen-

dentur, formæ vero paucioribus notæ parcius adhibeantur, in dubiis ratio grammaticalis cum usu quotidiano conferatur & sic p. Quo factò Lingua Nationis communis, Tavastorum quidem fundamento superstructa, ex omnium tamen dialecto- rum copiosis thesauris, prudenter collectis, augeatur & ornetur.

Corrigenda.

- Pag. 4. lin. 1. lege *accidit* pro *accedit*.
 — 5. — 15. — *Orthogr.* pro *orthogr.*
 — 6. — 20. — post *usurpantur* adde cõmma (,) *lingua*
 — 7. — 10. — *ipsum flamen linguæ* pro *istarum*
 — 8. — 12. — post *ð* adde *þ*
 — — 13. dele *Germanisque*.
 — 9. — 27. *u* pro *w*

Errata minora ipse corrigat b. Lector;
